

4591.
a.

13
5
76

Q. D. B. V.
EX POLITICIS
De

Jure Legationum,

SUB PRÆSIDIO

M. JOHANNIS FRIDERICI Horns/

PUBLICÆ DISPUTABIT

JOHANNES HULDERICUS à FRANCKEN-
BERG, NOBILIS SILESIUS,

A. D. XXVII. JUN. HORIS POMERIDIANIS.



WITTEBERGÆ,

LITTERIS MICHAELIS Wendt/

ANNO MDCC LX.



Small rectangular paper label or fragment in the top right corner.

Faint, mirrored text visible through the paper, likely bleed-through from the reverse side. The text is mostly illegible but appears to be arranged in several lines.





FELICITER!



Vi rerum summam in civitati-
bus moderantur, eam expeditionum
publicarum & multitudinem & varietatem
inveniunt, ut omnibus & singulis obeundis
impares ipsi non rarò deprehendantur. Ne
tamen Reipub. commoda jaceant intercepta,
prudenti consilio in partes vocari consueverunt, qui sagacis
ingenii & fidi ministerii ope adsistant imperantibus; & exer-
ceant horum nomine, quæ præsens usus postulat. Hæte-
nus enim illud Velleji obtinuit: *Magna negotia magnis adjuto-
ribus egere.* Et nec dum propriæ civitatis munia tantùm admi-
nistros flagitant: incidunt tempora, quibus cum externis
potestatibus de maximi momenti rebus transigendum Principi
est. Cùm verò nec commodum semper Majestati, pergere ad
exteros, & sedem suam ac caput rerum omittere; sæpe nec tu-
tum satis, permittere se peregrinæ fidei: salutari invento
omnium gentium approbatione recepti sunt publici nuncii,
qui sustinerent Principis personam in peragendis apud extra-
neos functionibus: præditi eâ sanctimoniâ, quâ & dignitati
mittentis, & securitati missorum consultum est.

Lib. II.

II. Quò tamen aliquis hoc sublimi nomine gaudeat, &
Legati jure fruatur, necessum omninò est, ut legatus reverâ sit,
& talem se gerat. Ubi imprimis requiram auctoritatem pu-
blicam mittentis; apud populos tam sollicitè quæri solitam,
ut credere nolim legatis, nisi mandatum sui muneris produxe-
rint, & publicarum litterarum fide personam impositam fece-
rint testatam. Non immeritò. Enimverò hæc causâ ita na-
turam intimam legati constituit, ut sine hæc esse, planè haud
possit. Sustinet vices publicas Legatus, quod accidet minimè,
si mit-

A

si mit-

si mittens privatus sit: privatus autem omnis habendus, qui civilis imperii non est compos. Constitutio officialium, qualis cum excellentiâ quâdam est Legatus, ad jus Majestatis spectat. quod parziale non habebit, qui integro destituitur. Hinc bello victi & capti reges ac populi hanc potestatem cum reliquis regni axiomatibus amiserunt. Vicerant, & sub potestatem redegerant Lacedæmonios Achæi, & propterea illis facultatem mittendi Legatos minimè competere, efficaci & vehementi disputatione demonstrarunt ut Pausanias testis est. Piratæ, Latrones, & id genus immanes homines, nunquam hoc jure dignandi. qui civitatem non constituit, hoc privilegio gentium caret. qui commercia & omnia gentium jura intervertunt, immunitatibus communibus haud debent uti.

III. Usu venire solet, ut ad Principum aulas ab inferioribus urbibus mittantur, qui negotia patriæ curent: sed hi deputatorum provincialium & municipalium nomine ut plurimum veniunt, & suæ civitatis legibus judicantur. Quod si distracta seditio civitas sit, & intestino bello impetatur Majestas; missos perduellium haud æstimandos esse jure Legatorum, non prolixâ ratiocinatione colligitur. Principi in subditos perpetua est auctoritas: & legationum jura licet hostibus, tamen non perduellis, competunt. Benè apud Livium Senatus Romanus censuit, jus legationis externo, non civi comparatum esse. verba scriptoris sic habent: *Per eosdem dies Latinis & Hernicis, simul Colonis Circejsibus & à Velitris purgantibus se Volsci crimine belli, captivosq; repetentibus, ut suis legibus in eos animadverterent, tristia responsa reddita: tristiora colonis, quod cives Romani patriæ oppugnandæ nefanda consilia iniissent. Non negatum itaq; tantum de captivis: sed, in quo tamen ob sociis temperaverant, denunciatum Senatus verbis, facefferent properè ex urbe ab ore atq; oculis populi Rom. ne nihil eos legationis jus, externo non civi comparatum, teget. Bellum faciebat Carolo V. Mediolanensium dux, & ad dominum, nam subditus erat, adornabat legationem: hoc eventu, ut ab Imperatore subditi nuncii in carcerem conjicerentur. Admittendos & benignè habendos esse à principe suadebit aliquando indul-*

*Lib. VI. c.
XVII. f.*

indulgens æquitas: ut redeant cæteri seditiosi homines ad frugem & bonam mentem, & civili quoq; sanguini parcat. Ubi in partes ferè æquales divisa universitas est, ut minimè constet, penes quos imperii vis resideat: invicem mitti posse ad instar ordinatæ Reip. qui pacem componant, & pristinam regiminis faciem multitudinè inducant, non ambigam. Eos tamen non legatos, sed arbitros & interpretes appellabo: & quod publicum bonum procurant, hoc nomine inviolabiles judicabo. Aliàs si inter duos, qui civitatem in diversis partibus, divisè auspiciis gubernant, controversia oriatur, cui seponendæ destinentur aliqui, hos legatos esse, & eò jure frui debere, verius existimaverim. Nam tum hi Oligarchi plenariò jure imperant, & singuli omnimodam obtinent Majestatem.

IV. Sed quid de pupillis & infantibus dicendum? Her- *L. I. de leg.*
manni Kirchneri hæc est sententia. *Qui per ætatulam nondum* *cap. III. n.*
intelligunt, quid agant, quidve videant ignorant, quiq; Reip. attin- *48. 49.*
gere frenos, tanquam altioris Bucephali, nondum possunt, sed ad spem
saltem imperij adolefcunt, cum majestatis & regni jura nondum
nacti sint, quomodo legationem mittant? Quis verò pro impuberi-
bus mittet, regni gratiâ? Tutores, illiq;, quibus regni cura & ad-
ministratio commendata. Paulò antè exceptionem admiserat,
nisi veniam ætatis fuerint consecuti, vel ex certo privilegio, ante legi-
timum annorum terminum, gubernationem susceperint. Quæ sen-
tentia non satis tuta videtur. Nam principium, ex quo col-
lectio illa negativa pronascitur, ego nunquam concesserim.
Infans, qui jam destinatus hæres est regii solii, non saltem in
spem imperii adolefcit, sed imperium jam actu complectitur.
Non cum ætate & annis accrescit Majestas, aut per inter-
valla & spiramenta temporum maturefcit: momento adest,
quo & pristinus rex fati concedit, & successor solito jure
sceptrum capefcit. Mittunt tutores legatos, sed nomine & au-
toritate principis infantis. Illi ut plurimum administri sunt,
qui & reliqua Majestatis jura, & legationis, jussu & auspi-
cio domini expediunt. Aliàs si ex propria facultate mitte-
rent, necessariò illis adscribenda foret Majestas. quod aliter
se habet. Tutor enim, quæ tutor, nullâ prærogativâ summi
A 2 imperii

imperii fruitur. Quæ de veniâ ætatis & privilegiis dicuntur, ad principes universali pronuntiatione applicari nequeunt. A quo veniam ætatis consequetur, qui superiorem dispensantem non habet? aut qui privilegium habebit, qui extra leges, & supra omnia privilegia positus est.

Philipp. V.
n. 27. V. Mittitur ergò legatus ab imperante, & ut plurimum ad talem, qui similiter imperii compos est. Nec impedit tamen, quò minus mittatur, ad communitatem, aut alium, modò non subjiciatur mittentis ditioni. Ad subditum & civem legari publicum nuncium, Majestas superioris vetat. Cicero sanè dissuasurus legationem ad Antonium, id continuò urget rem esse Romanis, non cum hostibus, sed cum cive. Non ad Annibalem mittimus inquit ut à Sagunto recedat, ad quem miserat olim Senatus P. Valerium Flaccum & Q. Fabium Pamphilum, qui si Annibal non pareret, Karthaginem ire jussi sunt. nostros legatos quò jubebimus ire, nisi paruerit Antonius? ad nostrum civem mittimus ne imperatorem, ne coloniam P. Romani oppugnet. Itane verò? Hoc per legatos rogandus est? Et describit alibi hunc egregium civem, ubi non hostem modò, sed impurum latronum, sicarium, parricidam patriæ nominat. quod accuratiùs

Philipp. IV.
n. 14. 15. sic effert: *Ac majoribus quidem vestris, Quirites, cum eo hoste res erat, qui haberet remp. ærarium, concordiam & consensum civium, rationem aliquam, si res ita talisset, pacis & fœderis: hic vester hostis vestram Remp. oppugnat, ipse habet nullam: Senatum, id est, orbis terra consilium delere gestit, ipse consilium publicum nullum habet: ærarium vestrum exhausit, suum non habet. nam concordiam civium qui habere potest, nullam qui habeat civitatem? pacis verò qua potest esse cum eò ratio, in quo est incredibilis crudelitas; fides nulla. Est igitur Quirites populo Rom. victori omnium gentium, omne certamen cum excurso, cum latrone, cum Spartaco.*

Philipp. V.
n. 25. Et ut vehementiùs eos, qui legationi tam turpi favebant, premeret, & ignaviam, & ignorantiam juris objicit: *Ad hunc legatos mitti placet: norunt isti homines formam Reip. jura belli, exempla majorum: cogitant, quid populi Romani Majestas, quid Senatus severitas postulet?*

VI. Dis-

VI. Disimile quid antiqua monumenta suppeditant in legatione ad Coriolanum. Hic infestus Tribunitiæ licentiæ, à plebe, & plebis concitatoribus postulabatur reus: nec mora est, absens damnatur. Sed in damnum adversariorum. Exulatum iverat in Volscos, & hostiles Spiritus, quos jam tum gesserat, nihil magis compositi, in ferocissimas minas erumpebant. Alebant hunc ignem Volsci, veteres Romanorum hostes, & parvo negotio funestum bellum junctis armis viribusq; excitabant. Eripiuntur plurima oppida: ipsa urbs circumfeditur. Mox instinctu plebis ad Marcium Oratores de pace mittunt patres, hi, ut verba Livii habent *Lib. II. atrox responsum retulerunt: Si Volscis ager redderetur, c. XXXIX. posse agi de pace. si prædâ belli per ocium frui velint, memorem se & civium injuriæ, & hospitum beneficij, admisurum, ut appareat exilio sibi irritatos, non fractos animos esse. Iterum deinde ijdem missi, non recipiuntur in castra. Sacerdotes quoq; suis insignibus velatos esse supplices ad castra hostium, traditum est, nihilo magis quàm legatos flexisse animum.* Hæc Ciceronianis minùs congruunt: nisi dicamus, Marcium Coriolanum amplius civem non fuisse, sed hostem. In exilium jam dudum erat missus, & ex civitate ejectus, & hostem Romanæ multitudinis jam se publicè profitebatur. Ut taceam illum Attii Volscorum Principis sortem unà subiisse: quod non minus, quàm hic ad id bellum sumptus erat Imperator. Sed tamen cum plebs Sicinio quodam auctore in sacrum montem secessisset, Oratorem ad plebem à Patribus missum Menenium Agrippam antiquæ memoriæ tradunt, quem Livius, *Legatum Patrum ad plebem* signanter nominat. Id eò accidisse arbitror, quod maxima pars, paucissimi enim remanserant, subditorum, imperium Senatus evaserat. *Lib. II. cap. XXXII. XXXIII.*

VII. Interim ad jura propiùs accedamus. Occurrunt potissimum duo: primum est admissionis, ne rejiciantur temerè legari: alterum securitatis, ne violentur. Nam obviatio, hospitium, & alia, quæ honoris causa exhibentur, ad ritum & consuetudinem potius, quàm jura referenda. Hinc si omitantur, aut minus splendide præbeantur, nullam culpam viola-

Liv. Lib.
XXI. c. X.

Natae legationis secum trahunt. Admissio verò & securitas propria sunt legati atq; domestica jura, quibus eximie gaudet. de priori prius videbimus. Plurima sunt legationum nomina & causae, indeq; non similiter de omnibus arbitrandum est. Si fuerit pacifica Oratoris negotiatio, ab sociis, aut iis, qui bellum nullum inferunt, missi, non poterit non admitti. Culpatur igitur jure meritoq; Annibal ab omnibus, non solo Hannone, cujus hoc judicium: *Legatos ab sociis, & pro sociis venientes, bonus imperator vester in castra non admisit, jus gentium sustulit.* Nimirum postquam Annibal, rupto foedere, quod haecenus inter Romanos & Pœnos ictum erat, Saguntum, sociam urbem, immani vi oppugnaverat, legati Romanorum mittebantur, hortantes, absisteret bello, & sociam urbem fineret quietam agere. Hos castris exclusit, misitq; iis obviam, qui nunciarent, *nec tuto eos adituros inter tot tam effrenatarum gentium arma: nec Annibali, tantò discrimine rerum, operae esse legationes audire.* Id Hanno vocat jus gentium tollere. Non immeritò. nulla enim causa rejectionis aderat. Mittebant Romani, socii Carthaginensium & confœderati, pro Saguntinis, itidem sociis, & nihil tale meritis, quale perpetiebantur. Et rationes quas pro se allegat Pœnus tanti non erant, ut repellerent sociorum legatos. Quin si Fetiales fuissent ad indicendum solenniter bellum destinati; non tantum admittebatur, sed sanctos inviolatosq; remittendos censuisset sana gentium ratio. quod statim subjicit Hanno: *hi tamen unde ne hostium quidem legati arcentur, pulsati ad vos veniunt, res ex foedere repetunt.* Proprium hoc omnium legatorum, etiam hostilium, privilegium est, ut audiantur, nisi gravissimae causae contrarium suadeant.

VIII. Quoties opinio subest, non bonâ fide geri legationis opus: & documentis certis nititur suspicio, hostili animo emissos esse speculatores, incommodaturos tuis consiliis: non contra fas repellentur. Nullum jus gentium persuadebit Principi, ut pestem ex occulto grassantem, intra viscera regni ultrò recipiat. GROTIUS tres causas ponit justae repulsae: prima est ex eò, qui mittit, altera, ex eò, qui mittitur, postrema

ex

ex eo, ob quod mittitur. Nimirum quando hostis armatus mit-
tit: cui hæreticum aliqui adjungunt, aut si legati persona ob
impietatem, perfidiam, vilitatem invisa est. Quosdam etiam ob
statum sexumq; , veluti Judæum & foeminam excludunt. au-
deniq; si in detrimentum Reip. expetere possit, quod profer-
tur: sub prætextu conciliandæ amicitia, reverâ ut in seditio-
nes atq; defectiones concitetur multitudo. Prudenter igitur
Romani, antequam Senatum darent legatis causas admis-
sionis vestigabant. *Si quæ incognitæ legationes adventarent, ante-
quam admitterentur, exploratores minoresq; Magistratus profecti
obviam, qui quæ petentes venissent, imprimis inquirebant: itaq; æde
Apollinis extra urbem Senatu evocatô, postulata noscebant: quos, si
videbatur, admitti jubebant.* quod testatur Alex. ab Alexandro.

Lib. II. Ge-
nial. dier. c.
II.

IX. Cæterum quod ultimam illam, fraudem attinet, si de
eâ certò constet, semper ea poterit arcere perfidum Oratorem.
Secundum momentum satis aliquando ponderis habebit, in
eam sententiam inclinandi animum, ut excludat infensum atq;
invisum. Et tum nihil legationi deeedet: persona impia,
perfidaq; rejicitur. Quæ Judæum, foeminam, & vilem comi-
tatum repellant argumenta, nondum inveni. cum forsan re-
periri possunt, quæ & impio & perfido & vili succurrant: quod
privatam personam hæc vitia tangant, ex publica autem aucto-
ritate legatus veniat. Sic prima causa nescio an semper obti-
neat. Hæreticum quod concernit, hunc ineptæ quorundam
argutiæ repellunt, nulla civilia argumenta: & hostis armati
legatum exempla quædam rejiciunt, at sine constitutione uni-
versalis regulæ. Aliàs inter belligerantes nunquam interce-
deret Oratorum commercium: nemo prior ponet arma, usq;
dum constet de certâ pace. Et potest forsan eousq; valere hæc
ratio, si suspectum sit hostis ingenium; si aliud nihil quæsitu-
rus legatus, quàm ut extrahat tempus, rebus suis firmiùs pro-
spiciendi; aut si non unâ vice callidâ hæc simulatione decepit
admittentem. Tunc sanè poterit arceri.

X. Id quod tamen in universum non satis causæ erit, cur
penitus à tali missæ legationes excludantur: durante bello
plura sese ingerunt, quæ internunciis publicis peragi amant:
& ipsa

& ipsa pax nunquam conciliabitur, nisi sint qui utrinq; feroces animos molliri, & difficultates, quæ obstant quietis consiliis, remove norint. Et quamvis etiam sufficiens causa subsit, quæ rejiciat suspectum oratorem; ac nemo cogi possit, ut admittat hominem, de cujus non tantum dubitatur fide, sed perfidia quoq; constat: ne tamen inhumanitatis alicujus insulari princeps possit, admittendus iste videbitur. Interim honoris specie, arctiori custodia observabitur, nec liberum permittetur, egredi designatum hospitium, aut colloqui civibus, nisi presentibus fidissimis hominibus; in quorum conspectu nihil seditiosi possit moliri. Sic semper poterit recipi legatus, nisi luculentis testimoniis constet, eum concitandæ multitudinis causa accedere: aut ipso ingressu & admissionis actu aliquid contra dignitatem admittentis, & majestatem imperii, sustinuerit designare. Quin si hæc talia prævideantur, denunciari poterit, ne mittatur, aliàs hostium loco futurum.

XI. Si cessat justa repudii causa, omnino recipiendus est legatus: & semel receptus statim ex jure gentium id consequitur, ut Sacrosanctus atq; inviolabilis omnibus habeatur.

III. Verr. Hinc Marcus Tullius: *Nomen legati ejusmodi esse debet, quod non modo inter sociorum jura, sed etiam inter hostium tela incolume versetur.* Sed nihil attinet hinc conquirere testimonia scriptorum, cum unanimis populorum consensus in vulgus notus sit, non inveniatur ulla, nisi fortasse serina gens sit, quæ neget in totum, legatorum capita inviolabilia esse. Nam & *barbaris morem esse legatos venerari*, Totilas dixit apud Procopium. Non diffitebor, dari aliquando homines infruitos & facinorosos, qui contraveniant institutis gentium, & nullâ injuriâ laceffiti, violent legatos. Id verò neutiquam tollit aut infringit commune jus: quin roborat potius, quod hi tales & pœnas dederint læsis, & infamentur æternis notis ab populis sanioribus. Malâ libidine impulsus Titi Tatii, qui simul cum Romulo urbi imperitabat, propinqui, pulsaverant Laurentium legatos: jure gentium agebant læsi, & ultionem postulabant à Rege; hanc quia omiserat, nec debitis modis castigaverat delinquentes, approbare facinus visus, & à Laurentibus idè interfectus est.

Romulo

Romulo non indignante, quod sciret jure cæsum. Ut taceam
bella, quæ ob violatos Oratores gesta sunt: satis arguentia, *Liv. l. 6.*
jus gentium fuisse temeratum. Nam ut possit pœna ab integro *XIV.*
populo sumi, necessum est, contra jus gentium aliquid esse
commissum.

XII. Multum tamen interest, quis violentas manus inferat
legatis. Si ipse Princeps id fecerit, contra totam remp. insur-
get læsus, & armis vindicabit injuriam. Si privatus eam intu-
lerit, consilio publico, idem judicium esto. Sin privato scele-
re quis aggressus fuerit sanctum legati caput, postulari poterit
reus ad deditioem; aut peti, ut Domino suo justas luat
pœnas. alterum si locum inveniat, jam satis habet legatus; quo-
ties nec deditur, nec castigatur à suis transgressor, pœnam in
se princeps, exemplo Titi Tatii & Lartii Tolumnii, convertet.
Quod si lateat sceleratus homo, qui sacra legationum teme-
ravit, non poterit territorii dominus accusari. Pessimè igitur *Bod. l. 1. de*
fecit Gallus, qui Imperatori Carolo V. intulit bellum ob in- *Rep. c. 6.*
terfectos legatos, Fregosum & Rinconem. Miserat hos furtim
ad Turcorum Dominum contra Carolum irritandum; sed
dum fines imperii transeunt, nescio quo fato, aut ferro hausti,
præmia impiæ legationis consequiebantur. Traducebat in-
terea Carolus Gallus tanquam violatorem juris gentium:
qui crimen ulturum se profitebatur cruentissimo bello. de cu-
jus injustitia satis liquet. Nam jussu Cæsaris Consiliòq; haud
erant cæsi, quod probare debuisset rex; & hætenus denega-
verat nondum Imperator, debitum supplicium subeundum
esse maleficis: quin sponte suâ liberaliter pollicebatur, vin-
dicaturum se nefas, modò de auctoribus constaret.

XIII. Indagemus nunc fundamentum hujus rei, & descen-
damus in causas incolumitatis legatorum. Jus gentium tutelam
esse Oratorum, in ore omnium est. Sed rationem hujus pau-
cissimi explicant. Legationes juris gentium esse propterea *Libenth.*
dicunt, quia apud gentes passim usus legatorum fuit receptus. Ego *Exer. Pol.*
Legatorum sanctimoniam juris gentium dici & haberi exinde *XI. S. 39.*
arbitror, quod populi, non tam voluntariò motu in eam con-
senserint, quàm necessaria Rerump. ratione ad eam colendam

B

tenean-

L. II. d. J. B. teneantur. Neq; id dederim politissimo meo GROTIUS, *jus*
P. c. XVIII. hoc non ut jus naturale ex certis rationibus certo oriri, sed ex volun-
u. IV. tate gentium modum accipere. Nam unde nobis constat de inito

L. II. cap. I. ut Kirchnerus benè observat, si juris gentium fides inter illos
delegat. locum tenuisset, hoc muniri singulari pacto non opus fuisset. Utraq;
gens perfida, oppugnabat gentium jura, & necessum habebat
igitur, recenti vinculo se obstringere. Quin non potuisse nudo
consensu obligari populos in perpetuum ex eo constet,
quod subinde novi Principes Rebuspublicis præfiantur. hi
ut non tenentur Prædecessoris leges observare ac nuda pacta;
sic multò minus extranei vinculis subjacent, nisi conventio-
nibus ipsi denuò subscripserint.

XIV. Præterea si hoc jus est obligatorium, & quidem co-
activè, ut omnes populos obstringat ad observationem aut
pœnam; necessum est, id à nudo & solo consensu haud depen-
dere. Ex ea ratione, quod populi non cogantur semper & per-
petuò eundem consensum, quem liberum habuerunt, quem
nullum obligatorium vinculum ob necessariam causam deter-
minat, servare ac retinere. Consentiant quotidie in pacem,
fœdera, inducias, in alia: sed nec pacem, nec fœdera, nec
inducias cum omnibus perpetuò habent. Juris gentium
dicebatur olim esse, ut victus bello serviret victori. Sed illud
jus non erat obligatorium, quia ex mero consensu, non ur-
gente aliâ causâ fuerat introductum. Et ideo nec propriè jus
gentium erat; quod alibi observavit GROTIUS. Quare nec
puniri potuerunt tandem à finitimis Principibus Christiani
Imperatores, tollentes illam injuriosam victoriam & subse-
quentem servitutem: quasi qui sustulerint confuderintq; hu-
manæ societatis jura, & populorum temeraverint scita. Et si
non ex certâ ratione, sed solo consensu, procederet hoc nego-
tium, posset mutuò dissensu rursus dissolvi. Nam quæ unicam
volun-

voluntatem pro ratione habent, possunt citra controversiam in Rebusp. mutari. exemplo sit servitus, sit variatio legum merè civilium. id tamen de legationibus si admittamus, absurdum habebimus, & confusionem in ordinatas Resp. magnomolimine introducere laborabimus.

XV. Ausim ego securitatis causam omnem à Majestate mittentis arcessere. Nimirum Princeps, qui alterius territorium volente Domino ingreditur, quamdiu se hostem peregrinæ Reip. non profitetur, eò honore, eaq; reverentiâ colendus est, ac si apud suos ageret. Et si temerè, neminem lacesens violaretur: contra jus ac fas sceleratissimos parricidas facere, quilibet putabit. Aliàs neminem lædere, ne quidem infimæ sortis hominem, quamdiu innocens agit, ex præscripto juris naturalis jubemur. Sed hic concurrit simul publica gentium ratio, quod Princeps instructus imperio ac Majestate, quocunq; loco fuerit, divinitatis quendam impressum characterem circumferat, & universæ Reip. instar sit. Quare sive à Principe peregrino, sive hujus subditis lædatur, semper DEI vicarius, & integra communitas detrimentum capit. Sustinet nunc illas Principis vices Legatus, & huic quicquid accidit, sibi vel honori, vel contumeliæ ducit mittens. Nunquam verò sine præsentissimo metu securitæ vindictæ contemni ac violari Princeps poterit, & in hoc Resp: nisi dissolvatur simul vinculum & omne jus, quo hætenus gentes invicem conglutinantur.

XVI. Majestas igitur, quæ Principis, Legati quoq; caput tuetur: nec caput tantum, sed comites & omnia vasa. Quod hæc accessoria æstimentur ex conditione principalis: & singula publico nomine missa intelligantur. In antiqua formula fetialium, postquam publicus interpretes jussus erat fœdus ferire, & jam puram sustulerat, sic concepta erant verba: *Rex facisne tu me Regium nuncium populi Romani Quiritium? vasa comitesq; meos?* Rex respondit: *Quod sine fraude mea populiq; Romani Quiritium fiat, facio.* Ubi simul licet observare causam securitatis & signum petatum à rege fuisse, quando dicebat Fetialis: *Jubes ne rex eum patre patrato populi Albani fœdus ferire?*

Livius i
I. c. XXI

Jubente Rege, sagmina, inquit te rex posco. rex ait: *puram tol-
lito.* Vides causam publicæ sanctimonix, communicandæ
legato, ab auctoritate regia petitam esse; ejus signum, tum inter
gentes usitatum à rege concessum. Sic igitur bona, & quic-
quid secum publicus nuncius affert, invadi sine crimine, aut
retineri ab aliquo haud potest. Et si vel maximè antea con-
traxerit æs alienum, privatus existens, aut fidejusserit pro aliis:
non tamen vel minimum ex fortunis legati ad solutionem de-
biti poterit capi, distrahiq; nec in pignus retineri. Rationem
hanc posuit GROTIUS. *Nam omnis coactio abesse à legato de-
bet, tam quæ res ei necessarias, quàm quæ personam tangit, quò ple-
na ei sit securitas.* Idq; accidit imprimis, quod publico no-
mine adest, quicquid cum legato est. Sed publica non possunt
capi in solutionem privatorum debitorum. Eodem jure cen-
fendi comites, quo vasa. nam & hi securitatem à primario
legato communicatam accipiunt: quare injuria illata comiti-
bus, ipsi legationis Principi illata censetur, & graviter puniri
consuevit.

L. c.

XVII. Obtinent hæc omnia, quamdiu intra terminos
honestatis substiterint comites, nec aliqua affecerint provin-
ciales injuriã, quã hospitii jus violari solet. Nam quoties
damnum aliquod intulerint hospitibus, aut admiserint scelus,
excidunt privilegiis, & postulari poterunt, ut dedantur vel
coerceantur à legato, Non enim admiserim, Legato nullam
juris dicendi potestatem & imperium in suos competere:
quod ex plurimis historiis constat, animadversum esse in co-
mites, quàm primùm aliquid mali perpetrarint. Et illud Po-
liticorum axioma: *mutato territorio mutari potestatem*, quod
Albericus Gentilis alibi habet, ad privatos peregrinatores
pertinere dixerim. Legatus Principem refert, qui nunquam
sine imperio est: & minus consulere mittentis auctoritati,
si legatus tanti imperii non esset capax, quantum sufficit ad
comites regendos, sed oporteret suos aliis tradere castigan-
dos. Præsertim cum auctores gravissimi concedant, *quod dux
exercitus potest & delinquentes in alterius territorio coercere, & ul-
timo supplicio in eos animadvertere. quæ militaris jurisdictio, quoad
subdi-*

*Adv. Hisp.
L. I. c. V.*

*And. Kni-
phen. d. j.
Terr. c. 4.
n. 8.*

subditos Domino ordinario non efficit. Reinkingius fundamentum hujus assertionis dabit, nimirum *territorium non esse de substantiâ jurisdictionis.* Quod ante quoq; GROTIUS observavit: *imperium, inquit, duas solet habere materias sibi subjacentes, primarias, personas, quæ materia sola interdum sufficit, ut in exercitu virorum, mulierum, puerorum, quærente novas sedes, & secundariam, locum, qui territorium dicitur.* Quod si non puniat Legatus prævaricationem suorum, nolim eos abstrahi: sed dissimulari potius crimen, & committi vindictam oratori: nisi scelus palam atrox & immane sit, quod labefactet dignitatem aut statum Reip. Tunc enim flagitari poterit deditio noxæ; & nisi dedatur, nec luat meritas pœnas, vel ipse suspectus videbitur legatus, qui contra Remp. fecisse existimetur. Idq; si compertum sit, nec legatum supplicio eximendum arbitramur.

XVIII. Verùm hoc accuratiùs contemplemur. Anceps quæstio est, & in utramq; partem disputata, num legati etiam tum gaudeant jure gentium, hoc est, incolumitate & securitate, ut inviolabiles sint, quando aliquod crimen admiserint. Sunt qui subjiciant ordinariæ pœnæ caput legati, quoties aliquid admiserit institutis populi, apud quem degit, contrarium: quod jus gentium à corpore legatorum tantum vim injustam declinet. Alii contra impunitatem promittunt transgressori, & dimittendum ad suum Principem, cum postulato, ut eum dedat vel puniat, neutiquam verò læsos supplicium ab illo sumere volunt.

XIX. Adducunt pro firmandâ sententiâ, omnem illum consensum populorum, omniaq; jura, quæ in genere securitati Oratorum favent; non apud socios tantum, sed intermedia hostium tela. Urget hanc voluntatem gentium Hugo GROTIUS, & ab hâc solâ, quia rationib; certis posse decidi controversiam desperat, solutionem expectat. *Recurrendum, inquit, tum ad Sapientum judicia, tum ad conjecturas. Judicia duo habeo maxime illustria; Livij alterum, alterum Sallustij. Livij hoc est de legatis Tarquinij, qui proditorem concitaverant Roma: Quanquam visi sunt commisisse, ut hostium loco essent, just tamen gentiù valuit.*

L. I. cl. V.

c. 1. n. 10.

L. II. de J. B.

P. cap. III:

n. 4.

Lib. II. cap.

XVIII. §. IV.

Videmus hic etiam ad eos, qui hostilia patrant, jus gentium extendi, Sallustij dictum ad comites legationis, non ad legatos ipsos pertinet: Sed rectè à majori, id est minus credibili, ad minus, id est magis credibile procedet argumentatio. Is ita ait: Fit reus magis ex æquo bonoq; , quàm ex jure gentium Bomilcar comes ejus, qui Romam fide publica venerat. Bonum & æquum, id est merum nature jus patitur pœnas exigi ubi reperitur qui deliquit: at jus gentium legatos, & qui his similes fide publicâ veniunt, excipit. Quare, ut rei fiant legati, contra jus est gentium, quo vetari multa solent, quæ jus nature permittit. Conjectura quoq; hinc stat. Verius enim est, privilegia ita intelligenda, ut aliquid tribuant ultra jus commune. Quod si legati ab injusta tantum vi tuti essent, nihil in eo magni esset, nihil præcipui. Adde quod securitas legatorum utilitati, quæ ex pœna est, præponderat. Nam pœna haberi potest per eum, qui legatum misit volentem: & si nolit ab ipso exigi bello, tanquam criminis approbatore.

XX. Hoc ultimum alii amplificant duobus à comodo incommodoq; petitis argumentis. Satius esse dicunt, nocentem dimittere; quàm fidem, publicè ab gentibus datam de securitate Legatorum, violare. Cum præterea verendum sit, ne legati talionis jure malè tractentur apud eum, cujus legatus ante erat punitus. Obtendunt insuper obsequii necessitatem. Legatum non ex suo arbitratu agere; sed ex præscripto mandati, quod à Principe accepit. nec esse subditi, Principis voluntatem anxie & scrupulosè rimari, cui exsequendi celeritas sola incumbit. Ita Fran. Le Fajer citatus Arumæo: *Hoc unum contendendo, impune legatis licere, sive per fas, sive per nefas, quicquid sibi à Principe mandatum est, exsequi ac perficere.*

c. 6. de legat.
ad A. B. dis.
l. 6. XXI.

XXI. Rationem verò, quæ maximè stringere videtur, ex ipso fundamento, quo supra incolumitatem legatorum adstruebamus, petunt. Subit Principis vices legatus, & quæ istum sacrosanctum ac inviolabilem præstant, ministro utiq; conciliabunt securitatem. Accedit illud, quod Princeps mittens, majestate gaudeat, & illo inferior haud sit, qui legatum supplicio destinare laborat, sed ei æqualis. Æqualis verò ab æquali judicari & condemnari haud potest; sed subditus

& in-

& inferior ab superiori, qui iudicis partes adimplet. Jam cum legatus Principem iterum referat, æqualis censendus erit Principi, apud quem degit. Et sic neutiquam cogi poterit, ut iudicii aleam subeat: sed mittendus erit ad suum iudicem & Dominum. quod GROTIUS sic amplius deducit. *d. l.*
Omniò ita censeo, placuisse gentibus ut communis mos, qui quemvis in alieno territorio existentem ejus loci territorio subjicit, exceptionem pateretur in legatis, ut qui sicut fictione quadam habentur pro personis mittentiũ, ita etiã fictione simili constituerentur quasi extra territoriũ.

XXII. Antequam hæc argumenta diluamus, præsupponimus. crimen adeò debere esse manifestum, ut reus vel confiteatur ipse, vel luculentis convincatur testimoniis atq; iudiciis. Non hinc suspicionibus agendum: quæ temerariæ ut in virum bonum non cadunt; ita non sufficiunt, ut viri magni, quales legati sunt, ex iis sortiãntur iudicium. Deinde non ob quodlibet vitium manifestum puniri volumus legatum: sed quod ingens atq; immane fuerit. Hinc nonnulli dicunt vim inferri legato posse, quoties contra jus gentium fecisse compertus sit. quod nimis latè patere GROTIUS putat: *cum in jure gentium jus nature includatur; & sic ex omnibus delictis puniri posset legatus, nisi quæ ex mere jure civili oriuntur.* Verùm non opus est, ut tam latè extendamus gentium jus. nam id, in suã naturã consideratum, contradistingvi juri naturali, satis demonstrarunt Moralium Doctores. Arctabimus igitur potius ad illos casus, quibus Respublicæ sibi invicem bonã fide obligantur. Quales ne hostili animo legatus hospitium lædat, ne concitet populum, ne struat insidias hospiti, aut in caput regis conspiret: & si qui similes, qui statum civilem, & datam publicè fidem fallunt.

XXIII. Ob alia crimina, qui magis in privatorum expetunt injurias, quàm ut lædant dignitatem imperantis, ut Principes invicem, non sumunt, nec dant pœnas; ita nec legati subjacebunt suppliciis. Cùm hæc talia dissimulari satius sit, aut vel maxime significare domino legati, & ipsi relinquere punienda. Hinc facile arbitrari licet, quàm barbarè Moscovitarum tyrannus Basilius in exterum legatum grassatus sit, cujus capiti pileum

*Sig. Bar.
Hist. Mosc.*

pileum clavo affigi jussit, caussatus, rusticè ipsum texisse caput. Quasi verò id Russorum institutis planè adverteretur, aut legatus, dignitati mittentis consulere doctus, caput serviliter nudare debuisset: quum tecto capite perorare passim pleriq; à magnis Regibus missi, soleant. Violare hoc erat legatum, non punire ob delictum: jus gentium temerare, non vindicare. Alexandri Magni factum, cædentis Persarum legatos ob libidinem atq; lasciviam, alii viderint quomodo excusent: nobis argumenta parricidium illud absolvant à violatæ legationis crimine, in promptu non sunt. Sed occupavit sententiam de hoc facinore

L. II. c. I. CL. Kirchnerus, qui videndus. Antonii stolidam malitiam
n. 116. Plutarchus nobis consignavit. Miserat Augustus ad Cleo-
in Ej. vita patram Thyreum. Hic prolixiore oratione, quàm alii cum
p. 950. eâ agens & supra modum honoratus ab ea, suspicionem movit Antonio. Ita corripuit eum, & flagellis cecidit, inde remisit ad Cæsarem, scribens insultatione & superbiâ illius se fuisse irritatum, qui esset ob ærumnam irritabilis. Id tu si fers, inquit, iniquè, habes libertum meum Hipparchum. hunc suspensum flagellato, ut par feramus. Sic & gentium temerè confundebat jura, & propriæ auctoritati infestus imminebat.

XXIV. Non postulabant hæc delicta pœnam. Sed graviora illa, quæ fundamenta publici status concutiunt. Quod igitur contra jus gentium peccanti legato non succurrat hoc jus, sed imponat pœnam, ita nonnulli colligunt. Secundùm illa communia populorum jura legatum esse judicandum perhibent. sed jura gentium animadvertunt in homines seditiosos, in conjurantes, & similes. quare neutiquam excludi poterit legatus hæc talia perpetrans. Verùm, quum hoc ipsum in quæstione sit, num legatus contra jus gentium admittens scelus, possit trahi ad supplicium; nihil contra dissentientes hoc discursu conficiemus. Nam id libenter admittunt, & faciles ambabus largiuntur, violatorem juris gentium puniendum esse: sed negant id obtinere, quando legatus delinquit. Et sic quæstio cum probatione eodem recidit. Aliâ igitur ratione ostendendum erit, jure gentium licere pœnas sumere de ipso quoq; legato, si sacra gentium attaminare fuerit ausus.

XXV. Quic-

XXV. Quicquid de consensu gentium hoc loco adferunt, id omne intelligendum est de legato, qui intra terminos honesti & justi consistit. Tunc apud quoslibet, hostes etiam, tutus ac sacrosanctus censebitur. Aliàs gentium jus virtuti favet, vitium exterminat. Quod GROTII argumenta attinet, manifestum est, duobus judiciis, sapientissimorum licet hominum, consensum populorum non posse probari: præcipuè si in unâ civitate vixerint. Hinc enim jus & mos alicujus civitatis, non omnium Rerump. colligi posset. Fuit id ingenium populi Rom. eaq; calliditas, ut æquitati & clementiæ plurima dare videri vellet: eoq; nomine omnes ferè gentes in sui admirationem traxit. Quare non mirum, si sæpius ex generosa quâdam animi magnitudine, permiserunt aliquid, quod jure poterant non concessisse. Tarquinii legati ut admitterentur, ratio status videbatur suadere. Propter ejectum non ita pridem regem, infames atq; invisi erant proximis Principibus Romani: & attracturi videbantur omnium odia, si insuper legatis vim attulissent, rei scilicet omnium populorum judicio. Nam regem expellere, qui reverà habet imperium in populum, omnium gentium jure nefas est: nunc si legatos præterea violarent: præcipuè quod omnes haud crederent, hos in culpa fuisse: id verò erat, non tam in Tarquinium, quàm omnes populos esse injurium. Ne cumulerent igitur invidiam, liberos atq; securos abire jusserunt, ultima meritos.

XXVI. Sic consulebant famæ, ut existimarent vicini, nimiâ sævitiâ excidisse regno tyrannum, non subditorum perfidiâ; qui ne semper in noxios quidem animadverterent. Et quid si hunc sensum adjuvarent Livii verba; quamquam visi sunt commisisse, ut hostium loco essent, jus tamen gentium valuit. hoc est. Tale quid commiserant legati nefarii, & concitatores populi, & turbatores publicæ quietis, ut ex facili deprehenderet quilibet, eos hostium loco censendos, ultimoq; supplicio afficiendos esse. Valuit interim ex singulari quadam recens constitutæ Reip. ratione, & solerti magnanimitate Populi Romani, jus illud gentium commune, quod legatis

C

probis

probis atq; innoxiiis sanctitatem quandam circumdat, ut inviolabiles sint & habeantur. Atq; ita non dabant locum exceptioni reservatae, sed communem admittebant Regulam. Adhuc singularis aequitas in ipsa admissione perspicui potest. Non tenebantur Romani legatos Tarquinii admittere; quia hic exul, & exutus maiestate ac omni imperio, ius legatos mittendi amplius minime retinebat. Non igitur erant legati, sed speculatores, sed proditores: & poterant caedi citra periculum laedendi iuris gentium. Ut recte Balthas. Ayala, non putet hoc

d. j. & O. B.
L. l. c. ult.

exemplo tutos esse legatos, similia molientes.

XXVII. Sallustii iudicium magis videtur nostrae sententiae favere. Bomilcar ille, proximus, ac ob similitudinem morum maxime fidus Jugurthae, quod Massivam, ex stirpe regiae Masinissae oriundum, hominem probum plane & innocentem, nefario scelere obtruncari curaverat; reus fit *magis ex aequo bonoque, quam ex iure gentium.* Quid ius sit, quid aequitas, satis notum est ex Moralistarum doctrina. Quae ius strictum universaliter consciscit, non possunt semper omnibus singularibus applicari, ob diversitatem circumstantiarum, quae actiones, & regulam actionum variant. Succurrit statim aequitas, & particularibus causis, particulare ius adaptat. Jam universali gentium iure cautum est, ut sancti & inviolabiles sint legati: sed quia hac universalitate nihil comprehensum de iis, qui contra fas aliquid perpetrant: necessario supplet illud aequitas. & legatos quidem rite agentes etiam hostibus venerandos esse docet: at immemores honestatis atq; iustitiae, debitis poenis reservat. Et hoc *aequum bonumque* vocat Sallustius: quod certe nullo modo poterit esse iniustum, nec iuri gentium, nec naturali contrarium.

XXVIII. Eandem explicationem huius iudicii invenio apud Johannem Rivium in castigationibus ad hunc locum. Ideo Bomilcarem Sallustius magis ex aequo bonoque reum fieri, quam ex iure gentium ait, quod cum comes esset eius, qui Romam fide publicam venerat, tutum esse eum ab omni injuria par erat. Sed interim reclamabat aequitas, ut qui facta cede fidem ipse publicam violasset, non de homicidio reus fieret. Nisi contra quis hunc esse sensum velit,

velit, Bomilcarem quamvis ob rescissam à se patrata cade publicam
fidem, nullo modo foret ad causæ ditionem admittendus, tamen cle-
mentia populi Romani, h. e. ex equo bonoq; magis, quam jure
summo, reum factum esse, cum potius fuisset indicta causâ mox ad
supplicium rapiendus. Sed vix est, ut sensus Sallustianus poste-
riorem interpretationem admittat, quum prior eidem accu-
ratissimè quadret.

XXIX. Hæc sunt duo ista iudicia, quæ ex antiquis rerum
gestarum monumentis proferri poterant: quæ tamen be-
nignam & congruam nostræ sententiæ interpretationem reci-
piunt, & omnium populorum jus non probant. Aliis haud
æquè observatum esse hoc institutum, vel ex Lampfacenorum
concilio apparet; qui homines & naturâ, & consuetudine & disci-
plinâ lenissimi dicuntur Marco Tullio: & tamen ubi Verres
cum comitibus nefarium perpetraverat scelus, in hanc senten-
tiam universi censebant: *Non esse metuendum, si istius nefarium
scelus Lampfaceni ultri vi manuq; essent, ne Senatus P. Q. R. in eam
civitatem animadvertendum putaret. Quod si hoc jure legati populi
R. in socios nationesq; ceteras uterentur, ut pudicitiam liberorum
servare ab eorum libidine tutam non liceret: quidvis esse perpeti-
satius, quam in tantâ vi atq; acerbitate versari.* Romanorum
fuisse consuetudinem, legatos, etiam noxios, dimittere, doce-
bant tum cives Romani, qui Lampfaci negotiabantur. Hi
orabant Lampfacenos, ut gravius apud eos nomen legationis,
quàm injuria legati putaretur: sese intelligere hominem illum esse
impurum ac nefarium. Sed, quoniam nec perfecisset quod conatus
esset, neq; futurus esset Lampfaci postea, levius eorum peccatum fore,
si homini scelerato pepercissent, quàm si legato non pepercissent. Corn.
quoq; Scipio id dixit Carthaginensium legatis, etsi jus gen-
tium in legatis suis violatum esset; tamen se nihil, nec institu-
tis populi Romani, nec suis moribus indignum in iis facturum
esse. Ubi non tam gentium jus, quàm instituta patriæ obten-
dit. Causam verò dimissionis infra videbimus. Quod Poly-
bius quoq; observat, dum ait: non tam cogitasse Scipionem,
quid dignum esset pati Carthaginenses, quàm Romanis quid facere
conveniret. Ubi conveniens decor non excludit jus.

III. Verr.

Liv. XXX.
c. XXV.

L. XV. c. IV.

C 2

XXX. Et

Procopius
Goth. 1.

XXX. Et hæc Romanorum consuetudo perpetua haud fuit, quod suppeditatum è Sallustio exemplum docet. Reus jam agebatur Bomilcar, & proculdubio supplicium ab eo sumptum fuisset, nisi eum furtim dimisisset in Numidiam Jugurtha. qui propterea paucis diebus iustus est ipse à Senatu Italiâ de cedere. Agebatur id iudicium ab univèrso Senatu Populi Romani nomine, quorum omnium, tum prolatam sententiam potiozem fuisse Sallustii opinione, si ea nobis contrariaretur, ego arbitraret. Huic iudicio subnectam illud, quod ipse GROTIUS in annotatis observat. Theodahatus Gothus Justiniani legatis hæc dicit: *Sanctum apud homines legatorum nomen, plenumq; honoris. Sed hoc ius legati interdum servant, quamdiu sua modestia legationis dignitatem tuentur. ita enim existimant homines, fas esse vel interficere legatum, si is in principem, ad quem mittitur sit injuriosus, aut alienum matrimonium violet.* Et GROTIUS fatetur ipse, exstare satis multa in partem utramq; exempla. Quod dissensum magis, quam consensum arguet, qui communis debet esse omnium. Et haud crediderim exempla illa, nostræ sententiæ subscribentia ab insipientibus aut barbaris, & humanorum iurium contemptricibus gentibus fuisse producta. Parum abest, quominus ad partes nostras transeat, quum statuat: *humana iura ita esse comparata, ut non obligent in summa necessitate, idq; de hoc quoq; precepto sanctimonie legatorum obtinere.*

XXXI. Nunc ad conjecturas. Certum est privilegia legatorum aliquid tribuere ultra jus commune. Et legati non tantum ab injusta, sed etiam, iusta vi, tuti sunt. quod accidit in legatis hostium. Hostem occidere, ubicunq; occurrerit, gentium iure communi licet. Ultra hoc jus commune aliquid tribuitur legatis: ut salvi & incolumes agant apud hostes, & tuti sint à vi, quæ in hostem semper iusta est. Hæc verò privilegia non sunt extendenda ad eum casum, quem jus gentium noluit immunitate gaudere. Non permittit parricidia, seditiones, conjurationes, jus gentium; ergo nec hoc poterit tutus lateretalium machinator. Nec est, quod admittam, securitatem legatorum utilitati, quæ ex pœna est, præponderare.

Utili-

Utilitas ex pœna vix una redundabit: nisi securitatem admittentis, utilitatis notione hîc capias. Quod ita neutiquam dederim. Securitatem nimirum hominis callidi, & ad fraudem acuti, sine ullâ religione ac fide; nam de tali quæstio est, præponderare securitati universi populi: cujus salus plerumq; in capitis regii incolumitate sita est. Et legatorum securitati, & admittentium saluti prospiciendum est.

XXXII. Faciles essent Principes in suam perniciem, & ad cædes facinorosos homines invitarent, si ejusmodi legatorum execranda facinora impunita omitterent. Pœna quidem haberi poterit per eum, qui legatum misit: sed quid, si volente Domino conjuratio facta sit? Bello exigere vindictam, & tot civium capita fortunâsq; maleficis ac perjuris objicere mactanda atq; diripiendas, ubi citra ullam suorum cædem possit illa sumi; ejus fuerit, qui non satis parcus sit, sed prodigus atq; profusus sanguinis civilis. Quod si vel maxime bello postmodum impetatur, conscientia satis est, sui defensione niti. Nec sic læditur ab ulciscente fides publica. non eô nomine alteri promittitur salus, ut promissoris periclitetur. Multo minus ex talionis lege poterit occidi innocens. Non est lex talionis, quando imparia pensantur: sed quoties eadem quis patitur, quæ alteri fecit. Illius legatus, ob sua scelera punitus est. hujus innocens, non poterit tanquam nocens puniri. Quod si ejusdem farinae sit, patiatur eadem, quæ jus aliis injunxit patiendâ.

XXXIII. Quod mandatum Principis, & obsequium legati attinet, id manifestam absurditatem habet. Novimus ad quæ jus imperandi, ad quæ parendi quoq; necessitas extendatur. Non nisi honesta imperare potest dominus; ad nulla, quæ pietati adversantur, mandata subditus obligatur. Hæc omnia certis rationibus, certo jure constant, quod alibi probavimus. Miserè disputant de jure, qui licere fas ac nefas legato exsequi, jus gentium vocant. Emissarium & sicarium vocaverim mancipium illud nequitia, non legatum. Hi sunt nimirum ex illorum ordine, quibus *sanctitas, pietas, fides, Sen. Thyest. a. II. s. I.*
Privata bona sunt: quæ juvat reges eunt. Sed his responde-

bunt præcedentia verba Tragici: *Ubi non est pudor, Nec cura
juris, sanctitas, pietas, fides, Instabile regnum est.* Est hominum
genus, quod regium veritatis tramitem transiit, & ex turpi
assentandi libidine discrimen honesti ac perperam facti. aut
ignorat turpiter, aut impugnat malitiosè: propudium sapien-
tiæ civilis & regiæ doctrinæ dehonestamentum. Tales con-
troversia hujus decidendæ incompetentes judices esse, nemo
non deprehendit. Licet manderetur aliquod nefas, cavebit
tamen legatus, ne id perpetrandum in se recipiat, nisi jure
plecti velit. Norit, omnia rectæ rationi debere esse consona,
quæ gentium jus defendit: nihil absurdi, nihil impii ab eo
profluere: & malitiam ab eo nullam consequi tutelam. Pro-
ferre quidem debet, quicquid Princeps jusserit: at post fidem
publicè datam acceptamq; nihil contra hospites moliri. Et
hucusq; laudanda sententia Legatorum Justiniani apud Pro-
copium. *Orator qualiacunq; à Principe, se delegante, acceperit,
profert; quæ si minus proba & recta videntur, non ipse propterea
jure est incusandus, sed qui misit, fortè culpandus. ipsi quippe nihil
aliud concessum est, quam ministerio mandato fungi. Quare si
vel iniqua petant, tolerandos censeam. nec approbandum
est Atheniensium factum, qui Darii legatos, aquam & ter-
ram, Monarchico more petentes, in puteos conjecerunt, ut
Herod. testatur.*

L.c.

XXXIV. Superat arx totius disputationis, cujus de-
structione nostri asserti robur & fundamentum nititur. Le-
gatus Principis personam sustinet; at Princeps ab alio
Principe non judicatur: quia par in parem non habet impe-
rium. Negari non potest, Principem, præter Deum, superio-
rem non agnoscere, & ideò nec alium judicem: quia judicium
præsupponit potestatem in caput. quam Princeps in subditos,
nemo natus homo in Principem habet. Gaudeat igitur huc-
usq; eâ securitate legatus, quàm diu legatus manet. Sed
illud mihi detur, oportet, posse Principem contra Principem
hostilia moliri, arma expedire, posse præliantem vinceri, &
victum captumq; si ita res ferat, trucidari. Sanè hoc modò
innumeros reges, vel in acie cæcos, vel captos post confidam
inter-

interemptos novimus. Non sortitur judicium Princeps, donec
majestatem retinuerit. quamprimum in victoris manum ac
potestatem fuerit redactus, exspirat pristinum imperii axio-
ma, subjicitur alterius arbitrio, & judicium subit, qui ante
nullum patiebatur judicem. In hoste nemo quæsierit, Prin-
ceps sit, nec ne. Hostilia molientem hostilia manent. Quàm
diu Princeps pacatus, alterius territorium transit volente
Domino, colitur ac honoratur: sed cessat ille cultus, & in op-
pugnationem vertit, quamprimum ille hostili animò incolas
infestavit. Tunc omnia licent in Principem, quæ in hostem
licere jure gentium possunt.

XXXV. Censeatur eodem jure legatus, dum pacem
colit, ipse colitur. Nam hoc causis sanctimoniam adscriben-
dum meritò venit. quod non omisit observare Clodovæus *L. I. de gest.*
apud Aimoinum. *Ad extremum pro divinis simul humanisq; Franc. c. 20.*
legibus, quæ injuriarum immunes sanciant, debere esse eos, qui me-
diatores hostilium efficiuntur armorum. Inter arma namq; sola
legatio pacis sequestra est. Exiit hostem, qui legatione fungitur.
Idem attendit Herodes, cætera vir crudelissimi animi, sed
hujus juris satis gnarus & apprimè observans, apud Josephum. *L. XV. An-*
Græci sacros & inviolabiles dicunt esse legatos, nos autem optimum tunc c. 6.
& beatum decretum in lege à Deo didicimus. Hi namq; & homini-
bus Deum placant, & adversarios hostibus reconciliant. Quid
ergò fieri magis impium potest, quàm legatos occidere pro equitate,
seu pace, loquentes. Pacifico igitur nihil mali metuendum.

XXXVI. Quando verò in caput imperantis, apud quem
sedet, conspirat: quando subditos concitat in turbas atq; sedi-
tiones: hostili jure puniendus est, quia hostilia molitur.
Non poterit majori privilegio frui missus, quàm ipse Princeps
mittens. In quibus Princeps securitate gaudet, & veneratio-
nem exterorum recipit, in iis quoq; actionibus eadem lega-
tus expectabit. Ubi verò nec Principi parcitur, incolumita-
tem nullam sibi minister vicarius pollicebitur. Fictio illa, quæ
legatum quasi extra territorium constituit, nimis quàm fictio
est. nulla ratione fulcitur id assertum. Alias & Princeps al-
terius

gerius territorii inuasor, in eodem captus, impunitatem consequeretur: quod omnis temporis monumenta refutant. Et si vim armatam intentans legatus occidi potest, quod concedit GROTIUS, sive per modum pœnae, sive per modum naturalis defensionis id fiat, jure gentium illud fieri necesse est. Ex quò tandem illud conficitur, posse legatum, nefaria molientem, occidi jure gentium; quod in quæstione erat. Nam secus si foret, ne defensionis quidem causâ occidendus esset, si jus gentium nullo modo eum violandum censeret.

Lib. II. c. I.
n. 141.

XXXVII. Punitur ergò jure legati malitia. Id dubium hic incidit, num solum crimen perpetratum castigetur, an simul attentatum saltem? CL. Kirchnerus negat crimen, quod nondum effectui datum, pœnæ subjacere. *Atqui hoc Romanae prudentiae exemplum, de Tarquinii emissariis habuerat sermonem, contra fas gentium agere illos docet, qui legatos ob conjurationes adversus imperium & principem deprehensas, & consiliorum pravorum molitiones, pœnâ capitali ex læsa majestatis capite, persequuntur. Quamvis enim legis civilis rigor, tum ad Reip. tum ad Principum, tanquam patria parentum, salutem diligentissimè custodiendam, non solum rei tam atrocis actum & effectum, verum etiam affectum & consilium eadem severitate persequatur: Legatus tamen adversus peregrinum principem delinquendo, quem neq; suum principem, neq; dominum ullâ subjectione aut nexu obligatus agnoscit, majestatem ejus ledere non intelligitur: nequaquam illis legibus judicari poterit, quæ non nisi subiectos, quibus scriptæ sunt, tenent. Naturalis autem ratio, jusq; gentium, quo legati causa judicanda, illud omnino non admittit, ut affectus, suasus & consilium sceleris pro consummato scelere habeantur.*

XXXVIII Principiò liberaliter concedam, legatum contra Principem peregrinum peccantem, crimen læsæ Majestatis non committere. Id enim apud Politicos in confesso est, non posse peccari in Majestatem, nisi ab eo, qui Majestati subditus est. quod legati personam, ut extraneam, non tangit. Dabo præterea, legibus, quibus subditi tenentur, Oratorem minimè esse judicandum. Instituta, quæ propria civitatis sunt, sanctissimè observare debent cives, nisi à superioribus pœnam expectat

expectare velint. Exterosea cura non sollicitat; & legati igitur
causam, non civilis lex, sed gentium fas cognoscit atq; di-
sceptat. Quin illud etiam ex abundanti remittam, non omnes
pravorum consiliorum molitiones capitali poenâ esse perse-
quendas. At conspiracyem adversus imperium & principem
deprehensam, non impunitam dimittendam, sed ultore gla-
dio castigandam arbitror. Quod dicitur jus gentium affectum
sceleris pro consummato scelere non habere; ea ratio ad liqui-
dum satis deducta nondum est. Immò ex probatissimis aucto-
ribus Arumæus demonstrat, conatum conjurationis fuisse
punitum. idq; apud plurimas gentes observari ibi docet. Quod
si quis excipiat, conatum quidem fuisse punitum; sed quando
subditus deliquerat: in legatum hoc jus non extendi. Huic
exempla non conquiram, id asserentia: saltem hoc repono;
Legatum conspirantem in caput principis plecti, non tanquam
reum majestatis, sed tanquam hostem, & quidem perjurum
hostem. Ut hostis possit occidi, jus gentium non requirit,
alterius cadem præcessisse: sufficit hostili animo eam agitari.
Aliàs nunquã aggressor, nec defensionis causa, posset transfodi,
ne in bello quidem. Legatum verò conspirantem, hostilia
nefario ausu meditari, probatione haud indiget. Interimi-
tur ergò jure, quod in hostem competit, in quem æterna por-
rigitur auctoritas.

*In A. B. diff.
l. n. XXI.*

XXXIX. Supra incidebat talionis mentio, quam paullo
attentiùs nunc inspiciamus. Nimirum Principis alicujus legati,
nihil nefarii ausi, temerè, sine causâ, contra jus ac fas violan-
tur; accidit postea ut lædens mittat aliquos, ad eum ipsum
Principem, cujus nuncii antea contumeliosè erant excepti:
num hoc rerum statu læsus poterit retribuere nefas, ac jure ta-
lionis uti; & occidere, si fuerint sui occisi, aut aliàs duriùs in-
clementiusq; habere, si tale quid fuerint experti. Videbatur id
asserendum, non tantùm quod plurima historiarum monu-
menta suffragentur: sed etiam quod Principem lædentem vi-
deantur referre legati. tum, quod non insolitum est, ut subditi
pendant poenas ejus crudelitatis atq; injustitiæ, quâ Principes
deliquerunt. Quod in bellis usu venire cernimus. Reges deli-

D

rant,

rant, Achivi pleantur. & belligerante Domino, subditorum
Lib. II. c. I. de leg. n. 70. corpora ferro, bonaq; rapinae obnoxia fiunt. Kirchnerus hoc
retributionis jus admittit, & violanti legationum sacra, nullam
securitatem pollicetur. quod paria delicta mutuam compensa-
tione tollantur, & dolus dolo elidatur. Non potest quis fru-
ctum consequi privilegii, quod impugnavit. ac frustra sibi
fidem postulat ab eo servari, cui fidem ipse non praestitit. De-
niq; jura violanti, si jus non praestatur ei, non violari, sed jus
reddi creditum est. quod ex Alberico Gentili desumpsit.

Sen. Aga- mem. A. II. XL. Largimur facile, talionem aequissimam esse, si par
pari referatur: interim de hoc negotio nihil temere asseren-
dum. Refert principis personam legatus, sed publicam: non
privatam, non vitiis contaminatam. Et ex alterius voluntate
nocens ac reus fieri minime potest. Sustinet belli incommo-
da subditi, quia subditorum & Principis una voluntas praesu-
mitur. hanc inferunt & accipiunt cladem, quam belli jus per-
mittit. at legationis jus jure belli non infestatur ex praesum-
tione. Delictum delicto, & dolum dolo ille expiabit, cui ea
mens: *per scelera semper sceleribus tutum est iter.* Hoc axioma
haecenus ignoravit gentium jus. a quo nihil admittitur, quod
justitiam non referat & honestatem: cui exolum est, quicquid
impio dolo inficitur. Si delictum illud audit, alienum sit oportet,
a pietate, a justitia, a vero Politico, qui semper vir bonus
est. Quae de impugnatione & fructu privilegii dicuntur, hic
nullomodo possunt applicari. Alberici dictum alibi verum
est. Nimirum si legato jura violanti conspiratione, aut alio
crimine, jus securitatis non praestetur, minime violabitur jus
gentium: sed potius credendum est, eum poenam merito luere,
quam jus dictavit, & sic suum jus accipere violatorem.

XLI. Hic primum omnium satis constare debet, num le-
gatus ipse, de quo jam quaestio, consenserit in perniciem aut
injuriam laeso illatam. Solent interdum primarii viri, qui in-
timis consiliis praesunt, legationibus destinari. Quod si con-
tingat talem mitti, qui antea suasor & auctor, vel approbator
tantum suo Principi exstitit, ut extraneus legatus pessime exci-
peretur, vel occideretur etiam: hunc vel interfici posse nullus
dubita-

dubitaverim. Tunc enim caussa perpetratae caedis exstitit: & merito debitam poenam luit. Idem censendum multo magis est, si tantum prior ille legatus contumeliâ fuerit affectus, hoc posteriore approbante; tum & simili eum posse obrui, nullum jus improbavit. Secus si ignoret, aut non approbet scelus, nulla justitia patitur in fontem plecti, & poenam caput noxium egredi. Ex hac ratione parcere debebat Scipio legatis Carthaginensium, qui auctores non fuerant plebi, ut Romani violarentur. Concursum multitudinis erat adversus Scipionis legatos insurgentis, & magistratum auxilio prohibita vis est. Nullum igitur tunc consilium publicum. & Asdrubalem quinqueremem Romanam quae legatos vehebat publicâ fraude aggressum, non satis constabat. quin Romae agebant tunc temporis Carthaginenses legati, ignari omnium scelerum, quae populares sui interim admiserant. Non igitur video, quid dignum fuisset pati homines nihil mali meritos. nec ad generosam magnanimitatem Scipionis, sed ipsam justitiam, dimissionem illam exigendam arbitror.

Liv. XXX.
c. XXX.

XLII. Quoad carcerem aliquid concedi posset, quod custodiae potius serviat, quam poenae; & securitati nostrorum consulat, ut citius liberentur. quod amplius permittendum videtur, si forsitan levius aliquod contumeliae genus fuerit, nec corpus legati affligat. Tunc enim ignominia, non legato, sed in legato Principi, qui similia prius commisit, aspersa censebitur, & privatam legati famam nequiquam onerabit. qua ratione quodammodo excusari posset talionis jus: nisi fides, quae publice appropinquanti solet dari, haec impediatur. Fides, etiam violatoribus fidei data, sanctissime servanda est. Quod si tacite praesumatur tantum, tutum sibi iter fore, nec expressè promittatur incolumitas, vix est ut aliquod jus obtendere possit, quod eum praedictae talioni eximat. Quoties denunciatur, ne veniat ejusmodi legatus, aliâs hostium loco futurum; si posthabito interdicto transcendat fines, non tam jure talionis, quam communi hostium judicabitur.

XLIII. Et haecenus de securitate, quam expectandam habet legatus, ab eo, ad quem mittitur: nunc quid juris sibi pollicebitur ab iis, per quos transit. Hic majori cautione vigi-

cap. XXIII.
de legat.

L. XIII. hist.
Gall. p. 603.

landum est incolis, ne patientiâ & lenitate sibi accersant pericula: & ipsis legatis providendum est, ne fallaciis securitatem aliis debitam, amittant. Ante omnia impetranda erit veniitionis atq; reditionis: & candidâ fide semper meminerit agendum esse cum iis, quorum fines transit, ne capitale periculum incurrat. Interest Reip. ne legatus ignotus invito vel ignaro principe regionem permeet. Et furtiva legatio semper aliquid suspecti secum trahit. Caroli Paschalii hæc sunt: *Quia imperij legatus est, occultè iter ingredi & intutum, & sanctissimo legationis munere indignum est. Latebras ignorat Legatio, palam ambulat, & apertò velò amat agnosci, aspici, salutari.* Cæterùm causæ quæ rejiciunt à Principe, ad quem mittitur, legatum, vel exitiales eidem erunt in territorio, quod clandestinis itineribus ingreditur: & in univèrsum, si quid hostile molitur, capitale id erit. Hinc si ad hostem tendat, vel ab hoste veniat, hostis efficietur. Huic enim nullum jus gentium succurrere potest. Nisi expressè in hoc data sit fides publica, ut liceat ad hostem transire; quod tamen, nisi ad componendam pacem spectet, aut nulla suspicio belli mittentem oneret, in pacem deduci vix posse videtur. Aliàs semper præsumitur hostilia agitare legatus, qui sine veniâ regionem intrat. quod Politici de ipsis Principibus suspicantur: nisi peregrinationis studio lustrent regna, & nullus merus insidiarum subit. De Carolo Walliæ Principe memorat Gramondus, jam apud animum reputasse comitè cognatum, quî latenti detraheret larvam, & manû injiceret suspecto. Quod similiter in Maria, Scotiæ regina, auctores arguunt.

XLIV. Interim si amico animo, & impetratâ veniâ instituant iter, & malè habeantur legati, jus gentium violatum censebo. GROTIUS putat *amicitiam tantum & dignitatem, aut ejus qui misit, aut ejus ad quem eunt, violari.* Sed non video, quomodo præter has jus gentium non violetur. Persona Principis in legato sine causâ à quocunq; læsa, violatû gentium jus arguit. Hoc enim ipsum est, quod jus gentium temerat, quoties amicitia & dignitas imperantis contemnitur. Supra enim demonstravimus, sanctitatem legati, jure gentium concessam, in eo consistere, quod non liceat violare pacifici & amici Principis dignitatem.



Ad Nobiliss.

DN. RESPONDENTEM,

Legatus est, quem disputas; factum o bene!
Præstabis olim ita pulchrius, quem disputas.

*Boni ominis causa
deproperabat*

Augustus Buchnerus, P. P.
& Acad. Witteb. Senior.

Ad

Generosum & Nobilissimum

DN. RESPONDENTEM,

Amicum meum.

FRANCKENBERGERUS, magno de stemmate natus,
Qualis legatus debeat esse docet.

Est prudentis opus, citius bene discere totum,

Quod regimen populi grande juvare potest:

Talia tu discis; facies, quod discis, id olim,

Regibus ut placeas Principibusq; viris:

Nobilis ergo mihi, Musis plaudentibus, audis,

Cum decus hoc cumules nobilitate nova.

Michael Wendelerus,
D. & P. P.

106 2

Ad

Ad Nobilissimum Dominum
Johannem Ulricum à Franckenberg /
de LEGATIS disputantem.

LEGATI responsa ferunt, quæis tempore **BELLI**
Urget & attollit quassas Republica vires.
Nec minus illorum vigilantia Regibus auget
Egregias **PACIS** dotes, gratumq; vigorem.
Gratulor inde Tibi, **FRANCKENBERGERE**, quod aptam
Materiam, tantisq; simul natalibus æquam
Sumpseris. In cathedra juvat hæc didicisse subinde,
Quæ profint aliquando Viro, cui talia Princeps
Munera committit, **BELLO** ceu **PACE** decora.

Deproperabat

Dieterich Coch, J. U. D.

Juveni

Generosâ Prosapia, & suâ etiam Virtute Nobili,
DN. JOHAN. ULRICO à Franckenberg /
Amico perdilecto.

Nonnè ego jam meritò duplici **TIBI** nomine grater
stemma de claro, sedulitate simul?
Et facio: nec non magnis hortatibus insto,
ut quo cœpisti tramite ferre pedem,
faustiter hinc pergas! sic qui perrexerit, olim
Nobilibus valdè Principibusq; placet.

Gratulabar ex animo

M. Georg. Casp. Kirchmaier.



WITTENBERG, Diss., 1660


ULB Halle 3
003 484 572



56

1077







19
5
26

CIS

onum,

10

ERICI Horns/
TABIT
S à FRANCKEN-
ILES IUS,
OMERIDIANIS.

Wendt/
X.

